

APPENDIX
DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

EX OPERE DE JUSTITIA ET JURE

R. P. LEONARDI LESSII S. J.

PROOEMIUM.

BREVIS EXPLICATIO ET DIVISIO VIRTUTUM.

1. Suppono *primo*, *Virtutem* proprie tantum esse ponendam in supremis animæ potentiis, intellectu et voluntate; et ad supremas ejus operationes (quæ sunt intelligere et velle) perficiendas. Est enim *Virtus* propria perfectio naturæ rationalis, qua rationalis est. Rationalis autem est, quatenus est principium intellectionis et volitionis. Itaque tota ratio virtutis ad perfectionem harum duarum functionum immediate ordinatur. Hæc autem perfectio consistit in attingendo *vero* et *bono*. Honestum bonum intelligo: hoc enim est proprium naturæ rationalis. Tunc enim intelligentia perfecta est, quando in qualibet re veritatem clare et certo, quantum fas est, assequitur; et voluntas, quando bono honesto firmiter inhæret; sic enim suum finem et veluti formam, ad quam instituta est, utraque potentia, et utriusque potentiæ operatio consequitur.

2. Porro ab horum perfectione pendet perfectio operationis facultatis imaginatricis, et appetitus inferioris, et potentiæ executivæ. Et quamvis in imaginatrice et appetitu inferiori sint aliqui habitus, quibus perficiantur ad suas functiones; (assuescunt enim ab intrinseco obedire rationi et voluntati, et ad hoc faciles promptique redduntur et determinantur) tamen probabilius est hos habitus non esse virtutes, sed tantum virtutum adumbrationes, et veluti ἀπηχθήματα quedam, ut Dionysii verbo utar, quæ ita virtutes intellectus et voluntatis imitentur, eisque subserviant, sicut vis imaginatrix et appetitus inferior deserviunt intellectui et voluntati, eosque in suis functionibus imitantur. Quod ex eo confirmari potest, quod in illis potentiis inferioribus non sit libertas; unde earum opus nec per se liberum est, nec laude dignum, sed solum ut subest motioni rationis et voluntatis: atqui opus, cui per se competit ratio virtutis, per se quoque maxime est laude dignum.

Hoc enim est propria virtutis nota, praesertim ejus, quae est in parte appetente. Ratio a priori est, quia sicut vis imaginatrix non potest attingere rationem veri, solido judicio discernendo verum a falso, honestum a turpi; ita nec appetitus inferior rationem honesti, amando praecise quia honestum, rationique consentaneum, et odiendo quia turpe, ac rationi dissonum. Non enim potest ferri extra proprium objectum, quod est esse delectabile sensibus, vel commodum naturae, praescindendo ab ordine ad rectam rationem. Verum exactior de his disputatio pertinet ad 1. 2. q. 36. Vide D. BONAVENT. in. 3. d. 33. q. 3. et ibidem SCOTUM. Recte igitur Aristoteles 7. phys. c. 3. dicit *Virtutem esse dispositionem perfecti ad optimum*; quia perficit intellectum et voluntatem ad optimam operationem circa sua objecta et propriam materiam.

3. Hinc sequitur esse duplex *virtutum genus*; alterum intellectus, alterum voluntatis: quia duae sunt supremae potentiae, et supremae operationes inmanentes, quibus optimo modo natura rationalis *vero et bono* conjungitur et informatur.

Virtus intellectus est dispositio perficiens illum ad cognitionem veri; facit enim infallibili modo verum cognosci. *Virtus autem voluntatis* est dispositio perficiens voluntatem ad affectum honesti. *Honestum* voco, quod Graeci τὸ πρέπον dicunt, id est, decens, decorum. *Decorum* est quod congruit cuique juxta praescriptum rectae rationis, seu quod congruit naturae rationali, qua rationalis est, vel absolute, vel supposito tali statu, aut conditione rerum: idque vel per modum operationis, vel per modum objecti, circa quod versetur. Aliud enim decet virum, aliud feminam; aliud regem, aliud subditum; aliud hominem, aliud angelum, aliud Deum. Virtus igitur voluntatis in unoquoque est affectus erga id, quod cuique congruens et decens agere vel appetere.

4. Suppono *secundo*, ex his virtutibus quasdam absolute et simpliciter dicendas esse virtutes, quasdam solum ex parte; ut D. THOMAS ex Aristotele docet 1. 2. q. 61. art. 3. *Absolute dicuntur virtutes*, quae non solum praebent facultatem boni operis, sed etiam bonum usum sui, id est, quae ita voluntatem movent et afficiunt, ut non possit illis male uti tanquam principio operationis. Tales sunt omnes illae, quae vel inhaerent voluntati, vel ad sui usum postulant rectam voluntatem, ut prudentia, et fides catholica. *Ex parte*, seu *secundum quid virtutes* dicuntur, quae solum praebent facultatem boni operis, (id est, ut opus in suo genere perfectum fiat) non autem bonum sui usum: ut sunt virtutes intellectuales hujus vitae, praeter prudentiam et fidem. *Sapientia* enim, *intellectus*, *scientia*, et *ars*, etsi mentem perficiant ut cognitionem veritatis assequatur, et ars etiam dirigat potentiam executricem, ut opus artificiale perfectum reddat; tamen non faciunt ut voluntas ipsis bene, honeste, et laudabiliter utatur: (possunt enim ad pravam finem adhiberi:) et ideo tantum ex parte sunt virtutes, non absolute et simpliciter; quatenus tantum praestant ut rei cognitio, vel opus externum in suo genere sit perfectum; non autem ut proveniat ex bono affectu, et ad finem honestum tendat.

5. Suppono *tertio*, inter eas, quae absolute dicuntur virtutes, alias esse *Theologicas*, alias *Morales*. *Theologicae* vocantur, quae immediate circa Deum, seu divinam aliquam perfectionem tanquam objectum formale versantur, ut *Fides*, *Spes*, *Charitas*. *Morales* autem, quae in caeteris rebus mores hominum secundum praescriptum rectae rationis componunt. Inter has, quatuor sunt quae dicuntur *Cardinales*, *Prudentia*, *Justitia*, *Fortitudo*, *Temperantia*; quibus caeterae omnes sunt annexae, tanquam partes quaedam potestativae, juxta D. THOMAM. Vocantur autem *cardinales et principales*, non solum a Doctoribus scholasticis, sed etiam a Patribus. AMBROSIIUS in illud Luc. 6. *Beati pauperes*, dicit B. LUCAM in quatuor beatitudinibus amplexum esse *quatuor virtutes veluti cardinales*. Et infra: *Scimus virtutes esse quatuor cardinales, Temperantiam, Justitiam, Prudentiam, Fortitudinem*. L. 1. Offic. c. 14. vocat eas *principales*. Eodem nomine vocat eas PROSPER L. 3. de vita contemplativa c. 48. et GREGORIUS L. 2. Moral. c. 36. (al. c. 49. n. 77.) et alii passim.

6. Ut autem intelligatur ratio hujus appellationis, notandum est, nomine prudentiae, justitiae, fortitudinis et temperantiae interdum intelligi generales quasdam rectitudines, quae in omni virtute reperiri debent. Omnis enim virtus debet esse *prudens* in operando, ne erret per inconsiderationem, vel negligentiam: *justa*, ut praestet quod debet Deo, proximo, vel sibi ipsi, et ut neminem laedat: *fortis*, ut fortiter in bono persistat, non sinendo se ob ulla difficultates a recto dimoveri: *temperans*, ut modum a ratione praescriptum non excedat. Hoc modo recte dicuntur virtutes *cardinales*; quia sunt generales, et principales quaedam rectitudines, quibus tota vita nostra dirigi, et in quibus veluti quibusdam cardinibus formari et verti debet. Secundo, significantur illis nominibus speciales quaedam virtutes, quae etiam recte dicuntur *cardinales*. *Prudentia* quidem, quia est caeterarum virtutum fundamentum, et veluti cardo. *Justitia particularis*, non quod excellentior sit caeteris, quae alteri debitum reddunt; (sic enim potius *Religio* esset dicenda virtus cardinalis) sed quia perfectissime ea, quae justitiae sunt propria, (nempe *respicere alterum, et reddere debitum ad aequalitatem*) in *justitia particulari*, quae est hominum inter se, reperiuntur. *Fortitudo*, quia versatur in maximis et difficillimis vel superandis, vel tolerandis. *Temperantia*, quia versatur in maximis voluptatibus moderandis. Itaque haec tres sunt *principales*, tum quia singulae sibi vindicant aliquam principalem conditionem et rectitudinem ex praedictis, quae peculiariter in ipsis resplendeat; tum quia versantur in materia principali, quae potissimum illam rectitudinem postulat: de quibus infra suis locis plura dicentur.

7. Commendantur haec virtutes Sapientiae 8. *Sobrietatem et prudentiam docet* (Sapientia) et *justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus*. Ubi nomine *sobrietatis* intelligitur Temperantia; *virtutis*, Fortitudo; ut docet D. AUGUST. L. 1. Retract. c. 7. et patet clare ex textu Graeco, ubi ponuntur nomina harum virtutum philosophis usitata; σωφροσύνην γὰρ καὶ φρόνησιν ἐκδιδάσκει, δικαιοσύνην, καὶ ἀνδρίαν. Vide AMBROS. L. de Paradiso c. 3. et AUGUST. L. de Genesi contra Manichaeos cap. 10. ubi tropologice has virtutes volunt significari per quatuor flumina paradisi.

De istis igitur quatuor virtutibus, oppositisque vitiis et peccatis, nobis hoc

opere quatuor libris distincto tractandum est. De quibus agit D. THOMAS 2. 2. a q. 47. usque ad 171. cum antea virtutes theologicas explicasset. Libro primo dicendum breviter de prudentia. Secundo, de justitia (1). Tertio, de fortitudine. Quarto, de temperantia.

(1) Librum hunc secundum in praesenti appendice haud edendum censuimus; cum de eodem argumento specialem Tractatum Theol. Wirceb. t. 3. p. 2^a. complectatur.

LIBER PRIMUS.

DE PRUDENTIA.

CAPUT I.

DE PRUDENTIA IN SE SPECTATA.

DUBITATIO I.

QUID SIT PRUDENTIA.

D. Thom. quest. 47.

8. Prudentiae nomen dictum videtur a porro videndo, teste ISIDORO L. 10. Etymol. cap. 15. *Prudens*, inquit, dicitur quasi porro videns. *Perspicax enim est, et incertorum videt casus.* Graeci vocant φρόνησιν, παρά τοῦ φρονεῖν, quod sapere, intelligere, cogitare significat; cum affectu quodam ad rem cogitatam. Hoc autem ἀπὸ τῆς φρονέως, quod mentem denotat, derivatur. Accipitur autem dupliciter. *Primo* generatim, pro omni noticia veri, praesertim quae aliquo modo ad recte vivendum pertinet. Hoc modo AMBROSIVS L. 1. de Officiis cap. 24. dixit: *Prudentiam in veri investigatione versari, et scientiae plenioris infundere cupiditatem*, ut notavit D. THOMAS, quest. 47. art. 2. ad 2. Sic accepta comprehendit etiam fidem, et universam Theologiam, et saepe in Scripturis vocatur *Sapientia*, ut Ecclesiastici 3. et 33. Proverb. 3. et 8. Sapient. 6. et alibi. *Secundo*, speciatim et proprie, pro virtute intellectus proxime morum directrice. Hoc modo est virtus cardinalis, de qua hic tractamus. Hanc D. ANTONIVS, teste Cassiano collat. 2. cap. 2., omnibus aliis virtutibus praeferebat, tanquam directricem caeterarum, quae non sinat eas a recto ad dextram vel sinistram deflectere. Caeteras enim virtutes, si discretio absit, necessario impingere, vel nimio fervore, vel torpore, et remissione; hanc solam efficere ut regia via incedant. Item hanc esse, quae in Evangelio vocetur oculus, et lucerna corporis nostri, a qua totum virtutum veluti corpus sit illustrandum, etc. D. AMBROSIVS L. 1. de Officiis cap. 27. dicit prudentiam esse *primum officii* (id est, boni operis) *fontem*. Sine hac nec justitiam, nec aliam virtutem esse posse. Idem docet D. AUGUSTINUS L. 1. de moribus Ecclesiae, cap. 24. Ex quibus constat quanti haec virtus sit momenti, quantoque studio comparanda. Variis modis defini niri potest.